



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648


Cap. II. Descriptio veteris orbis per Sphaeram mobilem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

PROBLEMA QUARTVM.

Circuli obliquè visi projectionem inuenire.

PROPONITVR in Spharâ A. B. C. D. Circulus E. F. G. H. obliquè visus, & eius projectio in plano I. L. quæritur: obliti Circuli ducatur Diameter E. G. per cuius extrema ex puncto A. trahantur duæ rectæ quæ planum I. L. Secent in M. & N. dico M. & N. esse Diametrum projectionis in plano circuli obliquè visi.



CAPVT II.

Descriptio veteris orbis per Spharam mobilem.

DUCATUR linea A. B. eaque secetur in partes 131. cum 20. minutis aut 130. nihili enim aut parui ad praxim referet. In eâ lineâ à puncto B. sepone 52. partes, dabitur parallelus per *Thylen* C. D. quem duces à centro B. Iterum ab eodem puncto B. sume 79. habebis parallelum *Rhodiensem*. Tertiò aufer 115. vt *Æquatore* ducas. Extremum denique lineæ seu punctum A. parallelus *Antimeroen* perstringet, cui æqualiter distitum alium duces supra *Æquatore* qui parallelum per *Meroën* representabit.

Iam pro longitudine, siue vt Circulos illos coërceas per Meridia-

nos; in *Rhodiensi* parallelo quatuor partes prædictæ lineæ assume, qui Gradibus quinque primi Circuli maximi respōdent, quoniam sesquiquarta est proportio *Equatoris* ad *Rhodiensem*. Et ne tabulam confundas, accipe 12. partes vt decimum quintum describas, & extensionem illam 12. partium applica sexies *Rhodiensi* parallelo ab utrâque parte lineæ A. B. hæc replicatio finietur in E. & F. iam ex centro B. ad E. & F. rectas trahe, secabunt seu restringent *Equatorem* in H. & G. & à parte Boreali tori Tabulæ limites præfigent. Eodem modo reliquos depinges Meridianos ductis lineis à puncto B. ad punctos in *Rhodiensi* parallelo notatos. In parte autem Australi inflexionem sic inuenies. Accipe diuisiones Meridiani per *Meroen* M. N. & eas applica parallelo per *Antimeroen* I. L. ab vtraque parte Meridiani A. B. tum ex *Equatoris* diuisionibus duc lineas ad illas diuisiones, quæ partis Australis Meridianos delineabunt.

Cur autem assumatur illa lineæ diuisa in 130. partes potius quàm in plures rationem habes petitam ex proportione 115. partium *Equatoris* ad 52. paralleli per *Thylen* diligenter expensam apud Antonium Maginum in primam partem cap. vltimi libri primi Geographiæ Ptolemaicæ contra Ioannem Velsenum, qui carpere Ptolemæum, in hâc methodo imprudenter ausus erat.



